



Sammelband 09

Index locorum in hoc volumine
explicatorum

- nr. 29 Ps. LXXXIV.
4. Math. II. 17. 18.
38 Luc. I. 78.
10 Act. XIII. 32. 33.
20 Ep. V. 23.
18 Gal. I. 24.
11 Col. II. 14. 15.
23 Eph. XIII. 2.
36 1 Petr. III. 18.
38 2 Petr. I. 19.
6 Iud. 9.
38 Apoc. XXII. 16.

24 23

DE
DIVINIS HOMINVM
HOSPITIBVS
AD LOCVM EBR' XIII, 2
PROGRAMMA
DIE FESTO S' MICHAELIS
A' I' S' CIO IOCC LV
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA
P. P

HELMSTADII
LITERIS VIDVAE SCHNORRIAE.



22

(24)

H O S P I T I B V S
 DIVINIS HOMINVM
 DIE FESTO S. MICHAELIS
 IN ACADEMIA LVIIA CROATIA

HEMSTADT

MDCCCXXXIX
 MDCCCXXXIX



ACADEMIAE IVINAE CAROLINAE

III

PRORECTOR
IO. CHRISTIANVS WERNSDORF

ELOQV ET POES P P O
ET ORDINIS PHILOSOPHO ET DECANO

CIVIBVS ACADEMICIS



Magna fuit apud ueteres populos hospitalitatis existimatio, quod in ea pulcherrimum amoris officium, et optimum humanitatis uinculum putabant contineri. Neque enim, ignoto tum diuersoriorum et tabernarum usu, a) peregrinantium securitas et gentium commercium constare satis posse uidebatur, nisi hospitii perpetua quaedam et sancta lex esset. Propterea ipsam mensae domusque communionem quadam religione sacram esse uoluerunt, et ius hospitii constituerunt, nemini uiolandum, et singulari Deorum, Iouis inprimis Xenii, b) praesidio et tutela munitum

A 2

II

a) Vid. PERIZONIVS *ad Aelian.* IV, cap. I

b) HOMERVS *Odyss.* IX, 270. VIRGIL. *Aene.* I, 735. Vid. TOMASINVS *de reff. hospit.* cap. VI

Morem hunc humanitate tam dignum, et a cunctis gentibus moratoribus receprum, adeo non deferuerunt ueteres Christiani, ut grauioribus multo ad hospitii sanctitatem rationibus ducerentur. Nam praeter diserta Scripturae S. praeccepta et exempla, quibus hospitalitas commendatur, id amoris et communionis inter ueteres Christianos, quamuis diuersarum regionum, uinculum erat, ut hoc ipso hospitibus recipiendis obui et expofiti redderentur. Fratres se omnes existimabant, confortesque anius domus, et membra unius corporis, sub capite Christo, c) qui ipse edixerat, sibi tribui, quicquid culturis suis benigne fieret. d) Quin omnem hominis Christiani uitam quandam quasi peregrinationem esse existimabant, quod incertis fati et perpetuis mutationibus obnoxia transitum haberet ad aeternas domos et sedes beatas. e) Inde est, quod sacri scriptores hanc terreni corporis compagem σκηνος uel σκηνωμα appellant, f) idque e ritu peregrinantium ueteri interpretandum esse arbitror. g) Magna propterea liberalitas Christianorum erga hospites et pere-

e) 1 Cor. XII, 26 seq.

d) Matth. XXV, 35, 38, 40

e) 2 Cor. V, 6. Phil. III, 20. Ebr. XI, 16, 13. XIII, 14. Quo referri meretur sententia Aegyptiorum, quam memorat DIOD. SICULIDIS lib. I, p. 47. Ταῦτα μὲν τῶν Ἰουδαίων οἰκίας ἀκατάστατος ἐνομαζομένησιν ἐστὶν ἰσχυροὶ κρονοὶ ἐν ταῦταισιν ἡμερῶν, τὰς δὲ τῶν τετελευτηκῶν ταύτης αἰδῆς οἰκίαν προσκαρτεροῦσιν, ἧς ἐν αὐτῇ διατελεῖται τὸν ἀπαρῶν αἰῶνα. Vidorum quidem habitacula uocant diuerforia, cum in iis per breue tempus habitemus; mortuorum uero sepulcra domos aeternas dicunt, tam in inferis per infinitum tempus agamus.

f) 2 Cor. V, 1, 2 Petr. I, 14

g) Nam olim peregrinantes iis in locis, ubi hospites habebant nullos, aut ubi eos nox oppressisset, in uia tentoria figere soliti. Vid. PERIZONIUS ad Aelian hist. uar. IV, cap. 1. et g. CASSAUB. ad Suet. Iul. 39. DEXLINGIUS Obseru. sac. Part. I,

V

peregrinos fuit, eos praefertim, qui se focios fidei Christianae profiterentur, idque facile intelligitur exemplo Peregrini apud LVCIANVM, qui homo nequam et impostor, ne egere cogeretur, peregrinatus per haec tempora dicitur, et Christianorum hospitia obiisse. Praecipua hospites recipiendi cura incubuisse uidetur Episcopus et Diaconifis. Nam PAVLVS Episcopum inter alia φιλοξενον esse iubet, h) et uidua ab eodem eligi praecipitur, ἐκ ξενοδοχου, εἰ ἀγων ποδας ἐνδον. i) Quippe singularis hospitalis officii pars fuit, aduenientium pedes lauare, idque antiquitus a nobilibus feminis fieri consueisse, testis est HOMERVS. k)

III

Egregium uero argumentum et nostra commentatione dignum commendandae hospitalitatis causa adhibet facer scriptor epistolae ad Hebraeos, cap. XIII, 2: Της φιλοξενίας μη ἐπιλανθανεσθε δια ταυτης γαρ ελαθον τινες ξενισαντες ἀγγελος. Vulgatus: *Hospitalitatem nolite obliuisci, per hanc enim latuerunt quidam angelis hospitio receptis.* Alii ita: *per hanc enim inficii quidam angelos hospitio exceperunt*, quos secutus est B. LVTHERVS. Sunt qui interpretationem Vulgati commodiorem existimant, et uerbis Apostoli ad eos tantum angelos putant respici, qui a Lotho hospitio excepti, Sodomitis coecitate et uertigine

A 3

obf. XXII, p. 106. Sic auctor epistolae ad Ebraeos XI, 9, hospitalitatem et peregrinum fuisse Abrahamum ostendens, cum dicit

ἐν σπηραϊσιν κατανησας

h) 1 Tim. III, 2. Tit. I, 8

i) 1 Tim. V, 10

k) Odyss. III, u. 464:

Τοσσην δε Τηλεμαχον λαον κληη Πολυκηση.

Conf. 1 Sam. XXV, 41. Vid. TOMASINVS de hospit. et tess. cap. 20. Et BART. CASALIVS, de coniuuijs, hospit. et tess. cap. 2

VI

ne percussis, ab eorum iniuriis tutam hospitem suam praestiterunt. Mihi isthaec interpretatio genio graecae linguae aduersari uidetur, eorumque praeferenda sententia, qui *in scii hospitio exceperunt* conuertunt. Nam usitata Graecis hypallage *ἐλαθον ξενισαντες* positum pro *λαθοντες ξενισαν*. Verba uero Apostoli non solum ad historiam Lothi, sed etiam ad Abrahamum, ad Gideonem et Manoachum, aliosque, ad quos angeli diuertisse memorantur, commode possunt referri. Qui cum nunquam hominibus comparauerint, quin iis singularis beneficii diuini auctores nuntiique essent, hinc Apostolus Ebraeos ea ratione ad hospites diligenter recipiendos cohortatur, ut participes diuini beneficii fiant, angelis ad homines missis saepe exhibiti

IV

Abrahamum in primis et Lothum ab Apostolo in exemplo poni liberalis hospitii, sententia est plurimorum ueteris ecclesiae doctorum, quorum cogitata hanc in rem recensuit IAC. PHIL. TOMASINVS. l) Demonstrandae eorum hospitalitatis haec in primis documenta ex historia Gen. XVIII afferri solent, quod nempe dicitur Abrahamus ad ostium tabernaculi sui sedisse per aestum diei, et quod peregrinis uix dum uisis occurrit, eosque domum suam inuitauit. Illud ita interpretantur doctores Christiani, ut dicant, Abrahamum ad ostium sedisse, tanquam in specula, ut si quos obseruaret iter facientes, statim aduocare et hospitio excipere posset. Sic AMBROSIVS: m) Hoc, inquit, *Abrae laudi est datum, qui ante ianuam speculabatur, ne forte praeteriret peregrinus aliquis, et diligenter praetendebat excubias, ut occurreret, ut praecerneret, ut rogaret, ne transfiret hospes.* Occurrere ultro peregre aduenientibus antiquitus solebant hospitalis uiri, quod moris

l) De test. hospit. cap. 22

m) De offic. lib. II, cap. 21

ris erat, peregrinos, qui hospitio uellent excipi, non ostium pulsare, aut rogare hospitium, sed tantummodo se ostendere, et, donec appellarentur, expectare. Sic Minerva apud HOMERVM sub humana specie ad Telemachum ueniens: n)

Στη δ' Ἰθακῆς ἐν δῆμῳ ἐπὶ προθύροις Ὀδυσῆος

Stabat in Ithacae populo, in uestibulo Vlyssis.

Quam uidens Telemachus statim occurrit, eamque ad conuiuium ducit. Talem humanitatem pariter exprimit Hyrieus, Iouem cum Neptuno et Mercurio excipiens, apud OVIDIUM: o)

Forte senex Hyrieus, angusti cultor agelli,

Hos uidet, exiguam stabat ut ante casam,

Atque ita: longa uia est, nec tempora longa supersunt,

Dixit, et hospitibus ianua nostra patet.

Addidit et uultum uerbis, iterumque rogauit. etc

V

Fama de angelis ad homines diuertentibus adeo inter gentes percrebuit, ut HOMERVS p) ad ostendendam hospitii sanctitatem, eodem, quo sacer scriptor, argumento utatur. Apud hunc enim cum Vlysses, hospitem et mendicum, in aedibus Penelopes Antinous, unus e procis, grauius increpitem percussisset, alius quidam indignatus hanc iniuriam sic Antinoum monet:

Καὶ τε Θεοὶ ξείνοισιν εὐκίμοτες ἀλλοδαποῖσι

Παντοῖσι τελεθόντες, ἐπιστρωφῶσι πολίτας,

Ἀνθρώπων ἴβειν τε καὶ ἐνομίην ἐφείποντες.

Et

n) Odyss. I, u. 103

o) Fastr. V, u. 499 seqq

p) Odyss. XVII, u. 485

VIII

*Et Dii hospitibus similes peregrinis:
Cum omnifarui existant, uagantur per ciuitates,
Hominum contumeliam et iustitiam speculantes.*

Quae sententiarum similitudo me permouit, ut quae de diuinis hominum hospitibus e sacris profanisque monumentis notatu digna sunt, eruere, et descriptione publica, festo die Michaelis proponenda, enarrarem.

VI

Angelos quidem nominat Apostolus hominum hospites, Homerus uero Deos dicit ciuitates obire. Sed hoc fit more et sensu paganorum. Nam illi naturas omnes hominibus excellentiores pro Diis habent, et haec ipsa opinio multitudinis Deorum e fama angelorum inter homines olim uersantium uidetur orta. Ceterum apud profanas gentes unius Dei opinio non obliterata est, idque maxime e poetis intelligimus, quorum qui antiquissimi sunt, de uno summoque Deo, quem Iouem appellant, saepe loquuntur, ceteros uero huic subiiciunt, et ministros addunt. Clare hoc probat HESIODVS, q) et ad sententiam sacri scriptoris, angelos hospitio exceptos memorantis, propius accedit. Etenim ter dena millia Deorum Iouis esse dicit, qui passim per terras oberrent, hominumque facta obseruent:

Τοις γὰρ μύριοι εἰσιν ἐπὶ γῆς, πελυβοτείεσσι
Ἀθανάτοι Ζηνος, Φυλακὲς θνητῶν ἀνθρώπων
Ὅι ἔα Φυλασσῶσιν τε δικὰς καὶ σχετλια ἔργα,
Ἦερα ἔσσομενοι, παντὶ φοιτῶντες ἐπ' αἶαν.

Quamquam uero Apostolus angelos tantum nominat, du-
bio

q) *Op. et dier. I, u. 250.* Huc etiam referri merentur, quae Arcturus apud PLAVTVM in *prologo Rudentis* de pari siderum ministerio dicit. Quem locum uide infra §. XII.

bio tamen carer, ipsum Dei filium subinde cum angelis apparuisse, Abrahamo inprimis, qui unum ex hospitibus diuinis Adonai et Iehouah appellat, Gen. XVIII, ut alia huius rei argumenta breuitatis causa taceam, quae CALOVIUS contra Grotium ad hunc locum profert. Neque firma satis est sententia IO. CLERICI, r) qui omnes Abrahami hospites angelos fuisse, ex argumento Apostoli apparere contendit, eumque dicit Dei potius hospitis exemplum ad suadendam hospitalitatem propositurum fuisse, si Deum ipsum ab Abrahamo sciisset hospitio exceptum. Cum enim saepius constet angelos Dei sub specie mortali hospitio exceptos, quam Deum ipsum esse, et ipse filius Dei, Abrahamum inuisens, socios sibi angelos adiunxerit, maluit Apostolus argumentum ducere ab eo, quod crebro, quam quod rarius factum esset

VII

Antiquissima generis humani aetate, teste historia sacra, frequentiores fuerunt Dei ἐπιφανείαι, angelorumque missiones, ad eos scilicet homines, qui uerum Dei cultum seruabant, et pietate erant insignes. Veteres pariter poetae memorant, primorum hominum aetate, qui, ut ait SENECA, s) *recentes adhuc a Diis erant*, terram Deorum praesentium plenam fuisse, et Numina saepissime homines inuisere, in eorumque coetibus aperte et familiariter uersari solita. CATVLLVS: t)

*Praesentes namque ante domos inuisere castas
Saepius, et se se mortali ostendere coetu
Coelicolae, nondum sprete pietate, solebant.*

Quod quoniam factum esse dicunt propter integram tum hominum pietatem et iustitiam, inde Astraeam inprimis,
B
siue

r) In Comment. philol. ad Gen. XVIII, 2. pag. 51

s) Epist. XC

t) Epithal. Pel. et Thet. u. 384. Apud OVIDIVM Fast. I, u. 247

X
siue Iustitiam tum incessisse per urbes et domos mem-
orant. u) Quae postquam uisita hominum scelere et iniquitate
e terris recessit in coelum, Numina hominum consortium
exosa non nisi raro et obscure se ostenderunt. Idem
CATVLLVS l. c:

*Quare nec tales dignantur uisere coetus,
Nec se contingi patiuntur lumine claro*

VIII

Deprauato igitur hominum genere Deorum in terris
commorationes diuersae multo a prioribus sunt, e poeta-
rum sententia. Nam cum olim Dii terrarum quasi inqui-
lini essent, nunc tanquam hospites, incogniti et obscuri,
coetus hominum obeunt, neque iam lumine claro, nisi ra-
rissime, conspiciuntur. Non enim, secundum poetas, con-
spici possunt mortalibus oculis, nisi ipsi se uidendos prae-
beant. HOMERVS: x)

- - - τις ἂν Θεὸν ἐκ ἐθελοντα
Ὀφθαλμοῖσιν ἴδοιτ' ἢ ἐνθ' ἢ ἐνθα κινεῖτα.

Inde fingunt, Deos plerumque nube inuolutos incedere,
ut latere ab hominum conspectu possint. Ad quam poeta-
rum opinionem accedit philosophorum Platoniorum sen-
tentia, daemonum corpora siue ἄχρηματα esse aëria, eosque
maxime in intermedio aeris spatio uersari. y) Aliquando
ipsis hominum oculis nebulam obducunt, quo minus Deo-
rum formam possint inspicere, eamque ab oculis iterum
remouent Dii, ubi se uideri uolunt. Apud HOMERVM
Minerua ad Diomedem: z)

Ἄχλιν

Saturnus:

*Tunc ego regnabam, patiens cum terra Deorum
Esset, et humanis numina mixta locis.*

- u) OVID. Metam. l. 89 seqq. GERMANICVS, Arat. u. 106, seqq
x) Odyss. X, uers. ult
y) APVLEIVS de Deo Socr. p. m. 47
z) Iliad. V, 127

Ἀχλὺν δ' αὖ τοι ἀπ' ὀφθαλμῶν ἔλκω, ἢ πρὶν ἔπειεν,
 Ὅφρ' εὖ γ' ἠνώσκησ' ἡ μὲν θεῶν, ἡ δὲ καὶ ἄνδρα
*Caliginem uero tibi ab oculis abstuli, quae prius inerat,
 Ut bene dignoscas tum Deum, tum etiam hominem.*

Homerum imitatur VIRGILIUS, apud quem Venus filio Aeneae nubem eripit, ut Deos in Troia euertenda operam praestantes possit conspiciere. a) Quibus sententiis ut nihil aliud indicant poetae, quam hominem nihil uidere rerum coelestium, nisi ipsi id Dii uelint, ita idem illud a Scripturae sacrae sensu et usu loquendi non alienum est. Quem enim fugit, Elisaeum prophetam, dum famulo suo exercitum angelorum cupit ostendere, Deum precari: *Aperit quaeſo huic oculos, ut uideat.* b) Quemadmodum uero angeli a famulo Elisaei animaduerti, nisi Deo uolente, haud poterant, prophetae uero diu ante apparuerant, sic aliis quoque exemplis constat, amicis et cultoribus ueri Dei haud raro angelos in subsidium missos uisusque esse, (qui ab aliis hominibus non cognoscerentur. Exempla e sacris nota sunt. Poetae Deos suos dicunt se bonis tantum et amicis suis manifestare. CALLIMACHVS de Apolline: c)

Ἄ πολλῶν ἔ παντι φαίνεται, ἀλλ' ὁ τις ἐσθλος.

Apparent uero bonis *lumine claro*, ut ait CATULLVS, quod alii poetae exprimunt *manifesto in lumine*, d) hoc est, non in aliena fictaque, sed propria forma. e) Huius rei pulcherrimum exemplum in Venere Aenaeae ob ui a VIRGILIUS

a) *Aen. II, u. 604*

b) *2 Reg. VI, 17*

c) *Hym. in Apoll. u. 9*

d) VIRGIL. *Aen. IV, 358:*

- - ipse Deum manifesto in lumine uidi

VALER' FLACCVS *Argon. I, 105*

- - canunt manifesto in lumine Fauni,
Syluarumque Deae

e) In sacris literis etiam eximia lux Deo et angelis attribuitur, et חורר כבוד uel *דְּרֵזוּרָה* dicitur. Luc. II, 9. IX, 31. Conf.

XII

LIVS exhibet. f) Tribuunt enim poetae Diis apparentibus summum splendorem, et nubem fulgentissima luce radiantem, quam *nimbum* appellant. g) Hunc splendorem, si amicis suis se offerunt, ita temperant, ut mortalibus oculis tolerari possit. Impiis vero si manifesto et inopinato uideantur, graues et infesti sunt. HOMERVS: h)

- - Χαλεποι δε Θεοι Φανεσθαι εναντης.

Hinc opinio antiquitus inualuit, uisionem Deorum periculosam esse et mortis praenuntiam, cuius uestigia etiam in sacris literis extant. Excedente angelo, qui futuram Samsonis natiuitatem denuntiauerat, exhorrescens Manoachus ad uxorem, *morimur*, inquit, *quia Deum uidimus*. i) Verba Hagaris ab Angelo apparente monitae, k) sic quidam interpretantur, ac si miretur, se post uisum angelum adhuc uidere et uiuere. Quam sententiam ad hunc locum annotat CALOVIUS, CLERICVS plane probat. Solent angeli hominibus sceleratis et male curiosis coecitatem et uertiginem iniicere. Quod experti sunt Sodomitae Gen. XVIII, et Syri 2 Reg. VI. Et eiusdem poenae exempla, quamquam turpibus fabulis inuoluta, profana antiquitas exhibet in Tiresia, qui a Pallade, l) et Erymantho, qui a Venere caecus factus est. m)

IX

Nos praecipue consideramus eas angelorum apparitione-

i Cor. XV, 41. Angelus Dei, Petrum e custodia liberaturus, totam domum splendore illustrat. Act. XII, 7

f) *Aen. II, 589*

g) VIRGIL. *Aen. II, 616. XII, 416*

h) *Iliad. XX, 131*

i) *Iud. XIV, 22*

k) *Genes. XVI, 13*

l) CALLIMACHVS *hymn. in lau. Pall. u. 101.* et PROPERTIUS *Lib. IV, El. 10, u. 56*

m) De Erymantho PTOLEM. *HEPH. apud PHOTIVM. p. 472*

tiones, quando hominibus peregrinantibus similes in terris uersantur. Tales enim intelligit sacer scriptor, ubi angelos hospitio olim exceptos memorat, neque dubium est, angelos ad Abrahamum et Lothum uenientes, ad quos maxime respicere uidetur Apostolus, simplicem hominis formam assumpsisse. Nam et ibi disertè אברהם uocantur, et propriis hominum actionibus perfunguntur. Ex his sacrae historiae fontibus forte reperendae sunt tot fictae a profana antiquitate Deorum sub humana specie peregrinationes. n) Neque abs re est annotare, in mythis ueterum geminas reperiri fabulas, Abrahami et Lothi historiis perquam similes. Vna est Hyriei, qui senex, et orbis, et liberorum cupidissimus, a Ioue Neptuno et Mercurio, quos hospitio exceperat, filium Orionem impetrauit. o) Spurca est fabula, quam memorare ipsis ethnicis pudor est, sed ex fama rei, quae Abrahamo contigit, forte male intellectae, orta, notante CLERICO. Altera est, de Philemone et Baucide. Qui quod Iouem et Mercurium peregrinantes, et ab aliis hospitio prohibitos, liberaliter receperant, a Diis hospitibus oppido eduçti et seruati sunt, uicinorum omnium domibus funditus deletis et in paludem uersis. p) Vtriusque fabulae summam esse cum sacra historia conuenientiam, eiusque famam per Phoenices ad profanos populos forte propagatam esse, facta colatio

B 3

latio

n) HOMERVS *Odyss.* l. c:

Και τε Θει ζηνοισιν εικονες ἀλλοδαποισιν. κ. τ. λ.

OUIDIUS, *Metam.* I, u. 212 de Ioue:

- - Summo delabor Olympo,

Et Deus humana lustrò sub imagine terras.

Minerva etiam apud HOMERVM *Odyss.* I, 170. sumta mortali forma Telemachi domum adit, cumque eo peregrinatur.

o) PALAEPHATVS, qui haec narrat, *Incred. cap VII*, de Hyrieo: *Φιλοξενιατος επιδεξαι τις Θεσ.* Vid. etiam OUIDIUS, *Fast.* V, u. 495, seqq
p) OUIDIUS *Metam.* VIII, 626, seqq

XIV

latione probabiliter ostendit 10. CLERICVS. q) Quae conuenientia cum non minus aliis in rebus, quae de Deorum hospitii memorant ueteres, deprehendi possit, atque his ansam dedisse uideatur ipsa Abrahami et Loti historia, iam operae pretium facturi uidemur, si ueterum de Diis peregrinantibus opiniones ad illustrandum de angelis hospitibus argumentum proferamus et explicemus

X

In sacra historia notatu dignum est, angelos, cum primum ab hominibus conspiciuntur, stantes uideri, non uenientes et gressum mouentes. Id uero fieri puto ad demonstrandam angeli aduenientis celeritatem, qui eum in locum, quo apparet, momento temporis mouetur, et conspectus demum habitum gressumque hominis assumit. Accurate hoc expressisse uidetur HOMERVS haud uno loco. Sic celerrimum Neptuni ad Achiuos uenientis motum excellenter describens, ait: r)

*Τρις μὲν ὄρεζατ' ἰὼν, το δὲ τετράτον ἵκετο τεκμῶν
Ter quidem protendit gressum, quarto autem peruenit
ad locum.*

Qui postquam loco destinato constitit, habitum Calchanis et incessum assumit. Apud eundem s) Minerua celeritate ab Olympo descendens, stans in uestibulo conspicitur a Telemacho:

*Βη δὲ κατ' ἄλμπειο κρηθῶν ἀΐξασα,
Ἐπὶ δ' Ἰθάκης ἐνὶ δήμῳ, ἐπὶ προθύροις Ὀδυσσεύς.
Descendit autem ab Olympi uerticibus impetu praecipiti ruens,
Et stetit in Ithacae populo ad uestibulum Ulyssis.*

Dii

- q) Comment. philol. in Genes. XVIII, 1. et huic subiuncta dissert. de Sodomae subuersione, §. VII
r) Iliad. XIII, 20
s) Odyss. I, 102

Diī apud poetas, etsi forma habituque hominis incedunt, subinde ampliorem humana speciem et decorem prae se ferunt. Talem in angelo sibi apparente animaduertit Manoachi uxor. Nam marito suo narrat, uiri, qui ad se uenerit, uultum fuisse instar angeli Dei, qui terrori esse possit. t) Reuerendam et formidandam speciem angelis et Archangelis tribuit IAMBELICHVS: u) Τα μεν των θεων κησα τη οψει ελλαμπει, τα δε των Αρχαγγελων βλοσυρα αμα και ημερα, πραοτερα δε των ανγγελων, τα δε των δαιμονων φοβερα. Spectra Deorum benefica oculis illucent: Archangelorum terribilia simul et mitia sunt, mitiora angelorum, daemouum terribilia. Forte etiam Abrahamus unum e diuinis hospitibus, quem Iehouam ipsum fuisse constat, maiore prae reliquis maiestate eminere intellexerat, quod eum fecerim compellauit. Quae praeterea in excipiendis diuinis hospitibus officia obseruantur ab Abrahamo, eadem Diis exhibita leguntur apud poetas. x) Aquam dant manibus pedibusque, apparant cibos, carnes inprimis et liba, quae Gen. XVIII, 6 תבואה appellantur, LXX uero exponunt ἐγκυβιας, Vulgatus, *panes subcinericios*. Genus fuit placentaee multum antiquitus usitatum, et hospitibus maxime apponi solitum, quod non in furno, sed in foco sub cineribus coquebatur, et celerrime poterat confici. y) Neque propterea ab his diuersa fuisse puto azyma, quae Lothus angelis apposuisse dicitur Gen. XIX, 4. Angelus ad Manoachum missus cibum, quem hic apponere uolebat, sumere recusat, z) adeoque, quod non simplicem for-

t) Iud, XIII, 6

u) De myster. Sect. II, cap. 3

x) Vid. HOMERVS, Odyss. I, 136. seqq

y) Vid. CLERICVS comment. in Gen. XVIII, 6. Talia liba Carmenta Inonem hospitio excipiens apponit apud OVID. Fast. VI, 531:

*Liba sua properata manu Tegeaea sacerdos**Traditur in subito cocta dedisse foco*

z) Iud, XIII, 16

formam hominis, sed augustiorem, assumserat, hominem imitari uideretur noluisse. HOMERVS in describendis Diis hospitibus hoc discrimen obseruat, ut, qui humana specie adueniunt, cibo solito et uulgari, sed qui diuinam praese ferunt, cibo Deorum utantur. Minerua hominem simulans, apud Telemachum et Nestorem conuiuio interest, et cibos solitos capit, sed Calypso Mercurio, quem Deum agnouerat, ambrosiam et nectar apponit. a) Ad haec in ueterum hospitibus, Deorum etiam, animaduerto, pro benigna humanitate antiquorum temporum moris fuisse, ut hospites prius cibo reficerentur, quam, quid negotii sibi esset, exponerent, aut quicquam interrogari possent. Nestor apud HOMERVM Mineruam et Telemachum hospites conuiuio demum peracto interrogat: b)

Νυν δὴ καλλίην ἐστὶ μεταλλήσαι καὶ ἐρεσθαι

Ἑσσοῖς ὄτινες εἰσιν, ἐπεὶ ταρπητῶν ἐδώδης.

Nunc certe satius est inquirere et interrogare

Hospites quinam sint, postquam saturati sunt cibo.

Eundem morem obseruo in sacris historiis. Abrahamus et Lothus angelos hospitio excipiunt, nihil ex iis quaerentes, et Manoachus epulum prius apparare uult, quam de angeli nomine interroget. c) Clarius hunc morem comprobatur seruus Abrahami, filio eius Isaac uxorem quaesiturus. Quem domum suam deducit et hospitio excipit Laban non interrogatum. Sed hic cupiditate negotii sui persequendi incensus, negat se prius cibum posse capere, quam rem suam exposuerit, hunc scilicet alias morem esse innuens. d) Dii hospites hoc magis se continere ad extremum, nomenque et consilium suum occultare solent, quo curatius mores et acta hominum uolunt inspicere.

a) HOMERVS *Odyss.* V, 93

b) *Odyss.* III, 69. Conf. IV, 60, et 155

c) *Iud.* XIII, 17

d) *Gen.* XXIV, 32

cere. Angeli Sodomam missi, cognito inspectoque Sodomitarum furore, quinam sint, declarant, missosque se ad perdendam Sodomam pronuntiant. e) Atque Dii apud poetas, etiamsi uerbis se non manifestant, discedentes tamen signa dare diuinitatis suae, etiam taciti, solent, dum incessu singulari utuntur. Memorat Calaliris apud HELIODORVM, f) Deos non solum ex oculis cognosci posse, quod continuo obtutu, nunquam coniuentes, intueantur, sed maxime etiam ex incessu, quod non dimotis et transpositis pedibus, sed impetu quodam aereo, quasi auram findentes, et ui expedita promoueantur. Propterea dicit Aegyptios Deorum statuas coniunctis unitisque pedibus fingere. Arque hanc opinionem de Deorum incessu, quasi arcanam, HOMERVM obseruat uersu quodam scienter expressisse. Apud hunc Ajax discedentis Neptuni uestigia obseruans ita loquitur: g)

*Ἰχθυα γὰρ μετόπισθε ποδῶν ἴδε κνημῶν
Πεὶ ἐγγὼν ἀπιόντος, ἀεγύρωτοι δὲ θεοὶ περ.*

Vestigia quippe retro pedum et tiliarum

Facile cognoui abeuntis: facile utique dignoscuntur Dii.

Discedente demum Neptuno Deum agnoscit Ajax, quod ante quidem hominem esse putauerat, abeuntis uero singularem incessum animaduvertebat. Eadem ratione apud VIRGILIUM h) Aeneas Venerem discedentem agnoscit:

*Dixit, et auertens rosea ceruice refulsit,
Et uera incessu patuit Dea.*

C

In

e) Gen. XIX, 13. Sic apud OVIDIUM *Metam. VIII, 691*, Iupiter et Mercurius:

*Dique sumus, meritasque luet uicinia poenas
Impia, dixerunt*

f) *Aethiop. lib. III*

g) *Iliad. XIII, 71*

h) *Aen. I, 406*

XVIII

In sacris angeli ab hominibus saepe cognoscuntur, dum e conspectu hominum dicto citius euolant, atque disparent. Manochus certe, cum angelum uidet una cum flamma altaris ascendente eleuari, intelligit non hominem illum fuisse, sed angelum Iehouae, et prae timore in terram procidit. i) Pari ratione HOMERVS narrat Telemachum obstupefactum, cum Minerua aquilae instar euolaret, et repente dispareret. k)

XI

Angeli teste Scriptura ab Abrahamo conspiciuntur sub aestum dici, hoc est, meridie, ad Lothum uero uenerunt uesperis. Cui temporis notationi conuenit opinio gentiliam, Deos potissimum horis meridianis et noctu in terris uersari. E multis aliis testimoniis locum afferamus LVCAE I, l) qui de luco ad Massiliam sito, quem sanctissimum Galli habebant:

*Non illum cultu populi propiore frequentant,
Sed cessere Deis. Medio cum Phoebus in axe est,
Aut coelum nox atra tenet, p̄auct ipse sacerdos
Accessus, dominumque timet deprendere luci.*

Proinde plurima Deorum uisa tempore meridiano contingere dicuntur, in lucis maxime, quos Dii amant. Sed huius rei plane alia ratio uidetur esse, quam quae afferri solet ab iis, qui haec ex antiquis auctoribus obseruarunt. *) Non enim Dii meridiano nocturnoque tempore in terris agunt,

i) Iud. XIII, 20

k) Odyss. I, 318

Ὀπὺς δ' ὡς ἀντοπιὰ διαπύρο - -

- - ὁ δὲ Φοῖβον ἦναι νοστήσας

Θαμβήσαντα κατὰ θυμὸν' αἰσάτο γὰρ Θεὸν εἶναι

Conf. Odyss. III, 371

l) Pharsal. lib. III, u. 422

*) SPANHEMIVS ad Callim. lau. Pall. u. 73. IO' CLERICVS Art. Crit. P. I, Cap. I, §. 3, n. 3. W' DEYLINGIVS Obseru. sacr. P. I, obseru. 26

agunt, ut conspiciantur, et hominibus intersint, sed secretum potius, oblectationem et otium petunt, neque uolunt conspici. Meridies prae reliquis diei partibus silentio, quiete et solitudine gaudet, quod aestu diei summo homines a labore uacare, pecudes uero umbram et quietem petere, strepitusque uenti et aeris minores esse solent. m) Dii uero silentio et quiete delectari dicuntur, ideoque meridianum tempus amant. n) Deinde, quemadmodum homines meridie quieti et sopori, uel aliis oblectamentis se dare solent, sic etiam Dii, quorum cuique sua cura laborque interdium est, hoc tempore se oblectare in lucis aruiisque dicuntur. o) Quod Arcturus apud PLAVTVM in Prologo Rudentis de se affirmat:

*Noctu sum in coelo clauus, atque inter Deos,
Inter mortales ambulo interdium,*

illud huc referendum non est. Hoc enim dicit, Deos interdium in terris uersari, simulata forma, ut mortalium acta et negotia obseruent. Meridie uero quando in terris esse dicuntur, secessum et otium quaerunt, et quasi sibi redditi fictas formas deponere, uerasque assumere putantur, in quibus conspici nolint. Sic Pallas apud CALLIMACHVM, et Diana, uenatione defuncta, nudam se lauasse dicitur meri-

C 2

die

m) HORATIUS III, od. 29

*Iam pastor umbras cum grege languido
Riuumque sessus quaerit, et horridi
Dumeta Syluani, caretque
Ripa uagis taciturna uentis.*

n) CALLIMACHVS in lau. Pall. u. 73:

*Ἀμφότεραι λουοντο, μεσημβριναι δ' ἔσαν ἄραι,
Πολλὰ δ' ἄσυχια τῆνο καταχεν ἄρας.*

*Ambae una lauabant, et meridianum erat tempus,
Multaque tranquillitas illum obtinebat montem.*

o) Vid. notae ANNAE DACERIAE ad Callim. l. c. B DEY-
LINGIUS *Obseru. Sacr. Part. I, 26*

XX

die. p) Sic Proteus apud VIRGILIVM meridie somnum petit: q) Pan apud THEOCRITVM, r) et Faunus apud OVIDIVM medio die dormit, Dryades uero oblectationis causa in syluis oberrant. s) Quoniam uero Dii, medio die uisi, hominibus infesti esse dicuntur, inde est, quod LXX interpretes Psalm. XCI, u. 6, pro calamitate et lue posuerunt *δαίμονιον μεσημέριον*, respicientes scilicet ad opinionem paganorum, daemones meridie potissimum timendos esse. Nocere uero credebantur Dii meridiani, quod, cum secreta petunt meridie et uerae se formae reddunt, t) occurrentes sibi et arcana quasi sua imprudenter inspicientes molestissime fertant, et acerrime ulciscuntur. Idque plurima historiae mythicae exempla declarant

XII

Eandem ob causam noctu etiam Deos dicunt libenter in terris uersari, non ut homines obseruent, sed ut se oblectent. Nam eo tempore silentium est, et remota ab arbitris solitudo. u) Clarissimum hac de re testimonium exhibet

PAPI-

p) CALLIMACHVS l. c. et u. 107. *seqq.* OVIDIVS *Metam. lib. III, 144. seqq.*

q) *Georg. lib. IV, u. 425, seqq.*

r) *Idyll. I, u. 16*

s) *Faustor. IV, 761:*

*Nec Dryades, nec nos uideamus labra Dianae,
Nec Faunum, medio cum premit arua die.*

t) SERVIVS ad uerba Virgilii *Georg. IV, 401: medios cum Sol accenderit aestus*, annotat: *Vera enim numina tunc uidentur*

u) Apud QVINGTILIANVM *declam. X, p. m. 182* mater de nocturna filii sui apparitione: *Sicut omnis religio templorum, omnis religio lucorum, cum tacere mortalia, et profani procul errauere sedibus totis, solitudine frui, et de suis dicitur exire simulacris. etc. BARTHIVS Aduers. XL, cap. 3. ex ea gentili-um opinione uersus HORATII lib. I, od. 4, 5. interpretatur:*

*Iam Cytherea choros ducit Venus imminente Luna,
Iunctaeque Nymphis Gratiae decentes.*

PAPINIUS STATIVS, x) statuum Domitiani dicens noctu
amplexandam esse a Numinibus iam coelo receptis:

- - - *Hic et sub nocte silenti
Cum superis terrena placent, tua turba relicto
Labetur coelo, miscbitque oscula iuxta.*

BARTHIUS quidem y) eam opinionem inde repetit, quod
cum apud gentes Dii plerumque astris censerentur, eorum-
que nomina cum Diis communia essent, Dii propterea
putabantur in terris uideri et coelo descendere, si Sol oc-
cidisset. Mihi uero contrarium potius inde colligi posse
uidetur, Deosque, dum astra lucent, in coelo esse, inter-
diu uero inter mortales uersari. Idque aperte comprobatur
locus Plautinus, iam memoratus, ubi Arcturus noctu se
inter Deos, interdiu uero in terris uersari dicit, additque:

Et alia signa de coelo ad terram accidunt.

Pagani cum daemones singulis astris praeesse, eaque gu-
bernare, ceterum uero ad homines Deorum mandata per-
ferre dicerent, propterea eos, cum sidera lucent, in
coelo esse, interdiu uero in terris obambulare credebant.
Fuit haec opinio orientalium maxime populorum, Deos et
sidera miscens, et fortasse e sacro fonte, sed superstitione
admixta, manuit. Nam IOBV s angelos, quos filiorum Dei
nomine insignit, etiam stellas matutinas appellat. z) Atque
hos filios Dei subinde in conspectum Dei uenisse, et ad e-
um de rebus factisque mortalium retulisse memorat. a)
PLAVTVS in Prologo Rudentis plane gemina habet, apud
quem Arcturus de se et reliquis sideribus:

*Qui est imperator diuum atque hominum Iupiter,
Is nos per gentes alium alia disparat,
Hominum qui facta, mores, pietatem et fidem*

C 3

Nosca-

x) *Syll.* I, 1, 94y) *Aduersar.* l. cz) *Iob.* XXXVIII, 7.a) *Iob.* I, 6. Vid. DEYLINGIVS *Part. I, obseru. sacr.* 27.

XXII

*Noscamus
Eorum referimus nomina exscripta ad Iouem.
Cotidie ille scit, quis hic quaerat malum.
Bonos in aliis tabulis exscriptos habet.*

XIII

Causa missionis et aduentus angelorum est manifesta singularis prouidentiae diuinae. Etsi enim Deus cuncta uidet, et omnibus rebus praesens adest, descendere tamen, uenire, uel angelos suos mittere dicitur, quando se hominibus tanquam dominum et iudicem manifestat. Cuncta uidere et obseruare Iouis oculum, dicit HESIODVS, b) neque minus tamen Dii hospitem specie, ut HOMERVS uersu citato ait, oberrant, ἀνθρώπων ἕβρι τε καὶ ἐνομίην φερόντες, siue ut HESIODVS exprimit, δικὰς καὶ σχετλια ἔργα φυλάσσοντες. Eunomia acquitatem legitimam notat, cognataque est τῇ Δικῇ, cuius etiam soror et filia Themidis a poetis fingitur. Praecipua uero pars τῆς δικῆς antiquo more hospitalitatis est, eiusque nomine saepe uocatur. Ἔβρι uero appellati sunt, iniquitatem, iniuriam et contumeliam, in hospites maxime. HESIODVS: c)

Ὁ Περση' σὺ δ' ἀνεκε δίκην, μὴδ' ἕβριν ὀφέλλε.

Sic PINDARVS d) Corinthiorum ciuitatem bene ordinatam laudans, habitare in ea Eunomiam, Dicen et Irenen, tres Themidis filias, dicit, quae coercere et propulsare omnem iniuriam possint:

Ἐθέλοντι δ' ἀλεξεν ἕβρι, κοῦρα
ματέρα θρασυμυθον.

*Valent coercere iniuriam, saturitatis
matrem audaciloquam.*

Ma-

b) *Op. et dier. I, u. 265.*

c) *ἔργ. κ. ἡμ. I, u. 211*

d) *Olymp. XIII, u. 12*

Matrem appellat satietatis iniuriam, per hypallagen, cum filiam dicere debuisset. Et alii codices Συγκατεγα legunt. THEOGNIS diferte: e)

Τικτει τοι κορος ἕβρι, όταν κακῷ ὄλβος ἐπιται
Ἄνθρωπῳ

*Pavit sane satietas iniuriam cum opes hominem,
improbum sequuntur.*

Hoc si quo alio loco, Sodomae sane euenit. Tanta fuit ea in regione, riuus undique et fontibus irrigua, foli ubertas et fertilitas, ut Scriptura S. eam instar paradisi Iehouae fuisse dicat. f) Igitur incolae omnium rerum copia affluentes, et Dei muneribus turpiter abutentes, in omne genus uitiorum prolapsi sunt, superbiamque et petulantiam in hospites maxime exercuerunt. Apposite PHILo de Sodomitis: g) Ἐπει ἐκορεσθησαν ἀγαθῶν, ὅπερ Φίλει, κορος ἕβρι ἐγεννησε. Postquam bonis satiati sunt, petulantiam, ut solet, satietas genuit. Nulla uero maior iniuria fieri poterat, quam qua hospites tam turpiter uiolare audebant Sodomitae. Insolentiam eiusmodi impietatis amplius ferre non poterat uindex Numinis ira. Sodomae, inquit, et Gomorrhbae clamor magnus est, et peccata incolarum grauissima. Descendi nunc, ut uiderem, utrum pro clamore, qui ad me uenit, prorsus se gesserint, an uero non sit ita, ut sciam. Ad rem magni momenti gerendam, et poenas ab hominibus repetendas Deus descendere dicitur in Scriptura. h) Clamor uero hoc loco aut infamiam Sodomitarum, et rumorem de eorum sceleribus per terras manantem notat, aut uoces et querelas hominum iniuriis

op-

e) γρωμ. II. 153

f) Gen. XIII, 10. Vberius fertilitatem terrae Sodomiticae declarat IO. CLERICVS, diff. de Sodomae subuersione

g) Lib. de Abrahamo. p. 369. et 381. Sic HOMERVS etiam Odyss. VII, 16, 32. Phaeaces rebus omnibus abundantes et uoluptatibus affuetos, μεγαθυμους fuisse dicit, et hospites aegre suscepisse

h) Exod. XIX, 16, 18. Nehem. IX, 13

XXIV

oppressorum. Simili ratione Iupiter apud OVIDIVM l)
de malitia orbis perditioni conuenitur :

*Contigerat nostras infamia temporis aures,
Quam cupiens falsam, summo delabor Olympo,
Et Deus humana lustris sub imagine terras.*

Scelera eorum, qui alios iniuriis opprimunt, tam atrocitatem esse produnt ueteres, ut latere diu nequeant, iramque Iouis uindictam illico prouocent. Idque a poetis egregiis sententis solet exprimi. Quo pertinet illud HOMERI: k)

Τῶν ὕβρις τε ἐστὶν τε σιδηροῦν ἔρανον ἴζει.

EVRIPIDES apud Stobaeum l) peccata hominum alata fingit ad Deos exsilire, et statim in Iouis membranis scribi:

Δοκεῖτε πηδῶν τ' ἀδικημάτων εἰς Θεοὺς
Πτεροῖσι, καί περ ἐν Διὸς δελτα πτυχῆσι
Γραφεῖν τιν' ἄντα. Ζητῶ δ' εἰσορῶντα νῦν
Θνητοῖς δικάζειν.

Creditis delicta subsilire ad Deos alata, deinde in Iouis membranis aliquem eadem scribere, illisque inspectis Iouem mortales iudicare. HOMERVS preces eorum, qui iniurias aliorum deprecari non potuerunt, filias Iouis fingit, et Iouem Saturnium adire, ut laedentem Noxa sequatur. m) Apud HESIODVM uero ipsa Iustitia Ioui assidue dicitur, et de hominum, qui ipsam laeserint, iniquitate conqueri. n) Iustitiae filia et ministra secundum ueteres est Nemesis, quae et ipsa alata fingitur, iusta Dei iudicia exequens,

i) *Metam.* I, 21

k) *Odyss.* XVII, 569

l) *Ecl. lib.* I, c. 7.

m) *Iliad.* IX, 507

n) *ἔργα κ. ἡμ.* I, 254

equens, et poenas repētens a nocentibus. o) A PLATONE propterea dicitur της Δικης ἀγγελος. p) Par sibi officium a Deo demandatum esse, ipsi profitentur angeli Sodomam missi. q) Venerunt uero tanquam hospites et peregrini, hoc sane experimento, an tanta sit Sodomitarum impietas, ut hospitii etiam sanctitatem uiolare audeat, cognitari. Ius enim hospitii tam sanctum habebatur, ut hoc uiolato impietas ultra procedere non posse uideretur. Sic Iupiter apud OVIDIUM r) hominum impietatem exploraturus, hospitis habitu ad Lycaonem uenit. Qui cum et Iouem interficere conetur, et alium hospitem, obsidem peregrinae gentis, mactet, epulandumque apponat, tum Iupiter uindice flamma domum eius euertit

XIV

Neque uero solum ad poenas hominibus infligendas, sed maxime ob insignia beneficia piis tribuenda, iussu Dei angeli ad homines ueniunt. Hoc enim est, cur Apostolus peregrinorum hospitia Ebraeis commendat, ut scilicet beneficiorum diuinorum, quae saepe attulerunt hospites angeli, fiant participes. Exempla beneficiorum, quae piis hominibus ab angelis eos inuisentibus iussu diuino tributa sunt, adeo frequentia Scriptura S. memorat, ut in re notissima haud multis uerbis opus sit. Abrahamo et Manocho ab angelis hospitibus filius nasciturus promittitur: Lothus uero impiorum iniuriis eripitur, et a praesentissimo uitae periculo liberatur. Quae apud profanos his similes historiae legantur, iam memorauimus. Generatim ea paganorum de Deorum apparitionibus opinio fuit, ut crederent, eas quae hominibus piis euenirent, sanitatem cor-

D

- po-
o) Vid. AMMIANVS MARCELL' lib. XIV, p. 33. edit. Lindenbr. et comment. ad h. l.
p) De legibus lib. IV, p. 601. edit. Ficini. Vid. FABRICIUS bibliogr. antiq. cap. VIII, §. 26
q) Gen. XIX, 13
r) Metam. I, u. 21. seqq

XXVI

poris, animae uirtutem, mentisque puritatem afferre, ut loquitur IAMBlichvs. s) Quam opinionem etiam praefereunt Lycaonii, Act. XVI, II, dum Deos ad se humana specie ad beneficia sibi tribuenda descendisse putant. Angelus ad Gideonem ueniens eum robore et uirtute inuuisse dicitur ad delendos Midianitas, t) et tale beneficium Minerua tribuit Telemacho apud HOMERVM: u)

- - - τῷ δ' ἐνὶ θυμῷ
Θηκε μνεος καὶ θαρσος.

Neptunus apud eundem x) Aiaces impleuit robore forti, πλησεν μνεος κρατεροιο. Sanitatis a Dea hospite restituae exemplum refert OVIDIvs. y) Ceres a Celeo hospitio excepta filio eius paruulo, Triptolemo, in cunis aegro, haud secus, ac Elifaeus propheta hospes in sacris literis fecisse memoratur, z) ore admoto spiritum restituit. Et quale beneficium Elias hospes uiduae Sareptanae, multiplicato eius oleo, tribuisse legitur, a) tale miraculum a Diis hospitibus effectum esse, OVIDIvs memorat: b)

Interea quoties haustum cratera replevi
Sponte sua, per seque uident succrescere uina,
Attoniti nouitate pauent.

Dae-

s) De myster. Sect. II. cap. 6: Ἡ μὲν τῶν Θεῶν περιεστία δὲ δώσει ἡμῶν ἕνα καὶ σώματος, ψυχῆς ἀρετὴν, καὶ καθαροτητα, κ. τ. λ.

t) Iud. VI, 14

u) Odyss. I, 319

x) Iliad. XIII, 60

y) Faistor. IV, 537:

Limen ut intrauit, luctus uidet omnia plena,

Iam spes in puero nulla salutis erat.

Matre salutata, mater Metanira uocatur,

Iungere dignata est os puerile suo.

Pallor abit, subitacque uigent in corpore uires,

Tantus coelestis uenit ab ore uigor.

z) 2 Reg. IV, 34

a) 1 Reg. XVII, 16

b) Metam. VIII, 681

Daemonum, qui medii putantur inter Deos et homines, hoc primum esse officium dicit APVLEIVS, c) ut hominum vota et desideria ad Deos referant, iisque iussu Deorum ferant supplicia. Eos propterea eleganti uocabulo appellat *Salutigeros*. Sunt, inquit, inter terricolos coelicolasque uectores hinc precum, inde donorum, qui ultro citroque portant hinc petitiones inde supplicia, ceu quidam utrinque interpretes et salutigeri. *Salutiger* uox Plautina est, et denotat ministrum, qui salutis dicendae, aut boni nuntii afferendi causa ad alios mittitur. Nam PLAVTVS d) *salutigerulos* pueros refert inter ministeria domestica. Hunc in modum daemones describit LACTANTIUS: e) *Adhaerent singulis hominibus, et omnes ostiatim domos occupant, ac sibi geniorum nomen assumunt*. Glossa uetus *salutigerulus* interpretatur ἐπισκεπτης, quod qui inuisunt alios, salute eos impertire solent, et ex more loquendi ueterum, uisitare, uide-re, uel aspiciere aliquem idem est, ac fauere aut auxilio alicui esse. f) Sic eo uocabulo utitur Scriptura, Luc. I, 68 et 78: ἐπεσκεψατο η̄μας ἡ ἀνατολὴ ἐξ ὑψους, uisitauit nos, hoc est, salutaris aduenit. Quo sensu etiam latinum *inspectare* usurpauit PAVINIUS STATIVS: g)

Summa Deum pietas, cuius gratissima coelo

Rava profanatas inspectant numina terras.

Hoc idem significant ueteres, cum Deos suos ἐπισκοπος, ἐποψας, *respicientes*, et praesentes h) uocant, quod adspic-
tum

D 2

c) De Deo Socratis, p. m. 45

d) Aulul. Act. III, sc. 5

e) Instit. diu. II, cap. 14, §. 12

f) Apud VIRGILIUM Aen. II, 690. Anchises ita precatur:

Iupiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,

Adspice nos.

Ad quem locum SERVIUS: *Quia intuentes Dii iuant. Unde est: Atque oculos Rutulorum reuertit aruis, et contra: Diua solo fixos oculos auersa tenebat*

g) Sylu. III, 3, 1


h) De quibus uid. SPANHEM. ad Callim. hym. in Apoll. u. 9

XXVIII

etum Deorum et praesentiam cum multis maximisque beneficiis coniunctam esse putant. APVLEIVS igitur quando daemones *salutigeros* appellat, hospites hominum beneficos et salutare intelligit.

XV


Quodsi pagani, diuiniore sapientiae expertes, ea Deorum suorum religione fuerunt imbuti, ut eos in terris secum uersari, suaque omnia inspicere negotia putarent, quanto magis id fieri a nobis par est, qui reuelatae religionis sacramentum accepimus. Etenim sacris literis edocti sumus, nihil rerum nostrarum obscurum incognitumque esse summo Numini, idemque angelos et ministros suos in terram delegare bonorum custodes, malorum uindictes. *Angelis suis*, inquit Dauides, *mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uis tuis.* i) Hi igitur inspectores et custodes rerum mortalium ubique nobiscum sunt, assident domi, adhaerent foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. Non illi hospites tantum, incertis errantes sedibus, sed iussu Dei perpetui comites, socii, et familiares nostri sunt. Sed iidem etiam sanctissimi, et omne nefas exosi. Sunt *πνευματα λειτουργικα* in eorum subsidium missa, qui haeredes futuri sunt aeternae salutis. k) Horum igitur praesentiam contemnere, horum non uultum reuereri, quam impium et nefarium, tam certe pulchrum et salutare est, eos rerum nostrarum speculatores et testes semper intueri, atque ex iis exemplum capere uirtutis et sanctimoniae. Cuius rei, ad uitam bene instituendam admodum fructuosae, hoc praesertim tempore, quod Michaeli sacrum festumque est, Vos, Ciues dilectissimi, maximopere admonemus. P. P. in Academia Iulia Carolina, pridie fest. Mich. A. R. S. cloBCCCLV.

i) *Psal. XCI, 11*k) *Ebr. I, 14*

153883

X 2286633

R



24 23

DE
DIVINIS HOMINVM
HOSPITIBVS

AD LOCVM EBR' XIII, 2

PROGRAMMA

DIE FESTO S' MICHAELIS

A' I' S' CIO IOCC LV

IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA

P. P

HELMSTADII
LITERIS VIDVAE SCHNORRIAE.

